

Q. D. B. V.

Ad

DUOS CONSULES

per DEI gratiam

REIP. ZITTA VIENSI

concessos,

DOMINUM

CHRISTIANUM
KAPSIMUM,

nunc REGENTEM,

DOMINUM

CASPARUM

CHRISTIANUM

SELIGMANNUM,

JCtum, Regium Confiliarium,

hactenus Civitatis Syndicum

& Scholarcham,

Ipsa ELECTIONIS die

XVIII. Augusti M DCCI.

postquam in templo solenniter fuissent conspecti,
devota gratulatio

JOHANNIS ELIAE WEISII,

LL. Stud.

LIPSIAE,
Literis IMMANUELIS TITII.

167



Patroni splendidissimi.



Um optima ZITTAVIA variis gratulantium officiis perstrepit, idem hoc sinceræ pietatis studium à me non fuerit alienum, quem, sin minus nativitas, educationis tamen beneficium, Zittaviensem dixit. Gaudent omnes, à DEO monstrari Viros, qui STOLLIO succedant & GIRISIO. Sed simul gaudent in Vobis extare virtutum ac meritorum specimina, quibus ornamentis carere non debet conspicua hæc dignitas. Hoc præsertim seculo, quo prodesse nulli solent, nisi quos experientiæ, prudentiæ, vigilantiæ, quin & humanioris elegantiæ novus nitor ultra prisam Majorum simplicitatem & securitatem provexit. Neque defunt causæ, cur ad scribendum nunc properet, calamus meus. Omen habetis, in quo Patriæ gratuler, omen in quo dilectissimus Parens meus gratulandi suam pietatem libens ac latus repetat.

Tu, Nobilissime KAPSI, faustum felicissimæ civitatis omen es. Ut enim superioris seculi prima confinia nobilitavit optimæ recordationis Avus PETRUS KAPSIUS, anno MDC regimen aggressus, anno seculi primo digressus: Ita secularem & verè jobelæam nobis memori-

riam statuit , suscep^{tum} h^{oc} ann^o publicæ consultatio-
nis præsidium. Multa sunt , quæ spem nostram red-
dunt certiorem. PETRUS enim hic denuò regens an-
no ejus seculi tertio, paulò post in cœlum vocatus FILI-
UM reliquit, h^{oc} nomine, nec minùs hoc NEPOTE di-
gnum. Nondum inter nostros omnino vivere desiit
GODOFREDUS KAPSIUS annis abhinc sexaginta,
cum instaret quintum Consulis regimen , denatus : Vir
peregrinationibus, studiis, consiliis, laboribus, imò si bel-
lorum injuriæ cogitentur , patiendi, sustinendi , agendi
gratia h. e. Consulis honore celebratissimus. Tantis
igitur meritis coronatum nunc esse verticem Tuum, tan-
tis auspiciis excipi dignitatem Tuam, non perfunctoriè
gratulamur.

Tibi verò, Spectatisime SELIGMANNE, cur ab-
esse credanⁱus omen , exiguum in se quidem , sed e-
ventu non contemnendo probatum. Quicquid nunc
explicantibus sese fatis, undiquaque notum est , id opti-
mus Parens meus ad patriū Gymnasium profecturus,
vaticinio, sin minus propinquo, firmo tamen & infalli-
bili prædicto, Te fore SENATOREM, Te fore CON-
SULEM.

Sanè pauciora dixisse videtur, quām is augurari, vel
è variis virtutum floribus jam polliceri debebat. Nesci-
vit, aut pro modestia sua proferre noluit, quæcunque jam
præsentibus indiciis effulgerent. Fortè credidit, vota-
nunquam esse perfectiora, quām ubi minora sperasse pu-
det in eventu. Satis est Zittaviensibus Eum donatum,
quo integro beneficium redundare posset ad plures, imò,
quæ nostra felicitas est, ad superiores. Creſcit hoc lu-
men, nunc quidem merito, sed ubi plenum fuerit , h. e.
ubi decrescere voluerit, exemplo.

Quid multis ? absens intueri videor P A T R E S
C O N S C R I P T O S in templum è curia procedentes.
Tunc medium HARTIGIUM cingent, hinc Civitatis amor,

amor, illinc Patriæ veneratio. Precabuntur Cives, ne
senectus hinc suâ careat juventute; vicissim ut vegetus
illinc animus tardè suam experiatur senectutem. Utrin-
que vero literarum cultoribus fœcundum sperandi læ-
tandique dabitur argumentum. Ea præsentis seculi nos
urget conditio, ut nisi diligentissimus publicam gratiam
expectare prohibeatur. Vestri tamen radii, si calorem
& vigorem ingenii affundere dignentur, non defuturi
sunt, qui viam virtutis arduam tentent, qui studiis im-
bui, qui negotiis involvi, qui speciminibus suis innote-
scere gaudeant. Sub his testibus agere, sub his censori-
bus proficere, sub his promotoribus ulteriora spectare,
jucundum est. Vos curis publicis intenti multorum
abripietis oculos, qui Vobis vel nescientibus, vel non ad-
vertentibus admiranda, forsitan & imitanda cogno-
scant. Flamarum hæc benignitas est, ut scintillis
quoque suam invidere vitam nolint. Sic erunt semper,
qui, quod suscipitis, vel actionibus suis vel præconiis asse-
qui cupiant.

Cæterum DEUS Patriam præstet incolumem, &
Germaniæ hunc angulum, postquam illustriora bello-
rum theatra passim excitantur, obscurum, ac ipsis novel-
larum compilatoribus ignotum esse patiatur. Delite-
scat in hoc nidulo pietas, quietem inveniat honestas,
incrementis suis, vel nullis decrementis notetur singu-
lorum prosperitas. Sint Posteri, qui secularem præsen-
tis Curiæ memoriam novis porrò posteris commendent.
Hujus verò felicitatis testes & alumni sint, qui nunc ex-
tra patriam, patriæ tamen prodesse cupiunt. Vivite,
florete, vel ut ad ipsum salutis principium accedamus,

DEUS VOS SERVET! *Dab. Lipsiæ Idibus*

Augusti M DCCI.

